



12073.
De

N^o 16

1729, 11

749 2 13

L. D. B. P.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

**DE IIS,
QVÆ NOBIS INVITIS
FIVNT,**

QVAM

CONSENTIENTE
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE
IN PER-ANTIQA ELECTORALI ERFFVRTHENSI
ACADEMIA

SVB PRÆSIDIO

DN. TOBLÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, COM. PALAT. CÆS. IVRID. FACVLT. ASSESSOR. ET CODIC. PROF. P. O.
NEC NON CIVITATIS SYNDIC. ET CONSVL.

HORIS CONSVETIS

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORE
PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ

PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IURE HONORES
RITE CAPESSENDI

SVBMITTIT,

JAC. HENRICVS WINTZIGERVS,

ZITTAV. LVSAT.

DIE XXVII. JVNII M DCC XXIX.

ERFORDIÆ,

Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

6-



D. D. D. D.
DISSERTATIO IN AUCTORITATE JURIDICA

DE IIS
QVAE NOBIS IN VITIS
FIUNT.

IN PER-AMER-ICA ELECTORALI SPECTRIBUS
AC ACADEMIA
CONSISTENTE
ALL. S. R. I. P. S. O. R. D. I. N. E.

DR. JOH. JAC. REINHARDT
I. O. G. O. R. A. T. I. O. N. I. S. C. O. N. S. I. S. T. E. N. T. I. S. A. C. A. D. E. M. I. A. E. L. E. C. T. O. R. A. L. I. S. P. E. C. T. R. I. B. U. S.

IN A. V. D. I. T. O. R. I. O. S. P. E. C. T. O. R. I. U. M. M. A. J. O. R. E.
P. E. R. A. C. A. D. E. M. I. A. M. E. L. E. C. T. O. R. A. L. I. M. P. E. R. I. A. M.

PRO LICENTIA
S. S. M. O. S. I. N. V. I. T. O. O. F. F. I. S. H. O. N. O. R. E.
R. I. T. E. C. A. S. S. E. N. D. I.

JAC. HENRICHVS WITZIGERVS
S. S. M. O. S. I. N. V. I. T. O. O. F. F. I. S. H. O. N. O. R. E.

DR. JOH. JAC. REINHARDT
I. O. G. O. R. A. T. I. O. N. I. S. C. O. N. S. I. S. T. E. N. T. I. S. A. C. A. D. E. M. I. A. E. L. E. C. T. O. R. A. L. I. S. P. E. C. T. R. I. B. U. S.



MAGNIFICO
SENATVI
ZITTAVIENSI
SACRVM

HOC. QVALE QVALE. SPECIMEN.
INAVGVRALE. JVRIDICVM.
PRO. TOT. TANTISQVE. BE-
NEFICHS. EXHIBITIS.
ESSE JVBET

ZITTA VIENSI

Cliens devinctissimus
JACOBVS HENRICVS WINTZIGERVS,
AVTOR.



PROÆMIUM.



Vod de Rhetorica scribit M. Quid de Rhetorica dicit M. Fabius,

FABIUS (*v. Quintil. Lib. 2. Inst. Orat. c. 13. in f.*) late fufum opus eſſe & multiplex, & prope quotidie novum & de quo nunquam dicta erunt

omnia, haud valde ambigo, quin ad jurisprudentiam quoque vaſtiſſimam illam divinarum humanarumque rerum ſcientiam (*v. l. 10. ſ. 2. de J. & J.*) ſatis commode à peritis rerum cenſoribus transferri poſſit. Sive enim immenſa ſpectetur caſuum paſſim & quotidie emergentium copia, circumſtantiarumque in illis varietas, ſive ingens veterum novarumque legum & conſuetudinum apud Gentes diverſas cumulus,

non male ad Jurisprudentiam applicatur.

A

sive

five dispar denique non solum hominum, sed
 & temporum genius, ad rerum pene omnium
 disciplinas varie excolendas, formandas, polien-
 das, amplificandas, momentum longe efficacis-
 simum, fatendum erit, verissimum esse, quod a
 JUSTINIANO (in l. 2. §. 18. C. de vet. jur. enucl.)
 scite traditur: *humani juris conditionem semper
 in infinitum decurrere & nihil esse in ea, quod
 stare perpetuo possit, cum multas formas edere
 natura novas properet.* Dubius igitur hæsi, hæc
 similiaque mecum perpendens, cum GENITORE
 nunquam sat devenerando, sic consentiente,
 calamum disputationi inaugurali admove-
 luerim, quale nam thema præ reliquis eligerem,
 & publice Doctorum discussioni subjicerem;
 Percurrens enim spatiosa juris volumina haud
 offendi materiam, quæ non à viris & ingenio
 & eruditione excellentibus, toties quoties tra-
 ctata, ne crambem multoties coctam recoque-
 re argueret. Itaque justo veritus metu, evitare
 volui, ne, mutato nomine, de me narretur &
 hoc: *Occidit miseros crambe repetita Magistros.*
 Quia igitur nullum certum Thema, hæctenus
 nondum elaboratum, & quod simul etiam
 usum

usum aliquem practicum præ se ferat, statim mihi sese obtulit; Hoc: *De iis, quæ nobis inuitis sunt*, non tantum in mentem venit, sed etiam eo lubentius retinere & vires in hujus elaboratione exercere malui, quoniam occasione hujus totum fere Juris Oceanum percurrere possum, & non ad unicum saltem casum, ubi sæpe multa obtorto collo adducuntur, adstrictus sum. Arcana itaque, subtilia, singularia atque plane nova hic quærere non licet, talia tamen, quæ plus simplici vice in rerum obtinent argumentis, quibus cordati JCTI non tam delectantur, quam etiam Reipublicæ utilem præstant operam, hic adducere animus mihi fuit, & insuper illud PLINII: *nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prosit*, solabitur. Methodum dissertationi eam posui, quam Imperator JUSTINIANVS, in conscribendis Institutionibus adhibuit; scil. CAP. I. *de iis, quæ nobis inuitis sunt, circa jus personarum*; CAP. II. *circa jus rerum*; CAP. III. *circa Actiones tam civiles, quam criminales*, sum tractaturus; Annuat Numen immortale cœptis, secundet medium, & benedicat fini!

Thema tractandum.

Methodus dicendorum.

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE IIS, QVÆ NOBIS INVITIS
FIVNT.

CAP. I.

DE IIS, QVÆ NOBIS INVITIS FIVNT,
CIRCA IVS PERSONARVM.

§. I.

Nimia subtilitas in terminorum investigatione laudanda non est.

Plerique in conscribendis dissertationibus in enucleanda *Etymologia, Synonymia & Homonymia* nimis sunt, non dicam, diffusi, sed plane superstitiosi, ut putent, se peccatum (*ut ita loquar*) philosophicum committere, nisi singuli termini ad nauseam usque explicentur; quam tamen diligentiam cum *Jcto scævola* in *lege 88. §. 17. de leg. II. merito miseram* vocamus. Jura enim rerum implantationibus, non verborum indagacionibus gaudent, & melius est, sensum magis, quam verba amplecti, *p. L. 3. d. adimend. l. transfer. Legat.* Equidem inficias non ibo, nominibus non minus, quam rebus inesse *sanctitatem, antiquitatem, gravitatem ac varietatem*, quia vero intuitu hujus Philosophiæ sæpe in mentem venit illud tritum: *Stultum ac supinum plumbei que ingenii, rebus relictis, consensescere in verbis*; ideo ejusmodi laborem omittere, quam aggredi malo, cum hæc cura & sollicitudo non tam *Jctum*, quam *Criticum* deceat, qui vero anxius derivationes vocum desiderat, ad *Lexicographos*, qui in omnium versantur manibus, remitto, idque pro materia substrata eo melius, quia

Hæc Cura Criticum propriis decet.

quia voces in frontispicio dissertationis meae positae, non possunt non omnibus, etiam iis, qui Jurisprudentiam saltem per transennam introspexerunt, esse notissimae, ut jure meritoque ulteriorem definitionis nominalis explicationem omittere queam.

§. II.

Quod vero pertinet ad definitionem realem, ea, ^{Definitio.} que nobis inuitis sunt, sic describi posse, mihi persuasum habeo, quod sint *negotia humana ad quae suscipienda & expedienda aliquis nolens volensque adigitur.* ^{huius explicatio.} Negotia humana, quae loco generis hic ponuntur, late & sic accipi volo, ut omnia ea, quae ab homine honeste & possibilibiter de *Jure Divino, Naturali, Civili, Feudali & Canonico* expediri possunt, contineant, ubi tamen ea, in quae aliquis coacte consentit, excludi nolo. Hinc etiam **INVTVM** duplici modo accipio in hac dissertatione: I.) pro eo, *qui omnino non vult*, II.) pro eo, *qui coactus vult*, adeo ut diversa ratione dici quis possit idem voluisse & noluisse. Reliqua verba differentiam specificam a reliquis humanis negotiis & actionibus, ad quas nemo regulariter cogi potest, ostendunt, quae ulterius *boc loco* explicare supersedeo, quia ex variis mox adducendis casibus de indole & natura horum negotiorum cuique facile constabit. Nemo vero putet, quia in Prooemio hujus dissertationis dixi, me juxta Juris objecta vel potius tria summa Juris capita sive partes praesentem elaborationem suscipere velle, quod ex singulis titulis multo minus paragraphis, *ea, quae nobis inuitis sunt*, sim propositurus; Talis enim labor metas Dissertationis longe excederet integrumque Tractatum requireret. Ita vero



ro procedam, ut juxta methodum dictam casus aliquot notabiliores eligam & prouti materia hoc suppediabit, debito loco, quædam ex *Pandectis, Codice, Novellis, Jure Feudali, Canonico & Publico*, quæ necessario etiam ab *invitis* sunt expedienda, adducam.

§. III.

A justitia, quæ Jctorum decus & ornamentum maximum esse debet, haud immerito exordior. Describitur illa ab *VLPIANO in l. 10. pr. de F. & F.* quod sit

Quid sit Justitia?

constans & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi. Quam lectionem Gothofredus & alii editores Corporis Juris receperunt. In libris autem *βασιλικῶν* hæc definitio sic translata est: *Δικαιοσύνη ἐστὶ ἐπιθυμία καὶ διανοητικὴ βέλτιστη ἐκείνη τοῦ ἴδιου ἀπονεύσαι δικαίον.* Hinc in vulgatis etiam & antiquissimis Pandectarum editionibus, quibus *BARTOLVS &*

An in definitione justitiæ rectius dicatur: Jus suum cuique tribuens? Negatur. & cur?

ceteri primi commentatores usi sunt, legitur: *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique TRIBVENS.* Quæ lectio tamen mihi nunquam arrisit; A viro enim æquitatis & justitiæ studioso non requiritur, ut is *actu* semper suum cuique tribuat, sed sufficit, dummodo *intentionem* habeat semper Jus suum cuique tribuendi; Potest enim accidere, ut vir justissimus aliquando cuidam suum non tribuat, sed nocentem absolvat, innocentem vero condemnet & pœna afficiat sine omni tamen justitiæ labe.

An iudex invitus juxta jus præscriptum pronunciare teneatur?

Affirmatur.

An vero Iudex *INVITVS* secundum jus sibi præscriptum pronunciare sicquæ suum cuique tribuere necessario teneatur, quæritur? quod omninò affirmandum; Lex enim ut ut dura, sequenda, *l. 12. §. 1. qui & a quib. manum.* & Iudex infamia

notandus, qui mitior, vel durior lege, l. 8. §. 2. C. ad L. Jul. de vi publ. Judicis enim non est de legibus disputare, sed saltem secundum eas judicare, licet contrarium in suo cerebello verius existimet. Sic v. g. furti poenam laquei Judex dictare debet, licet inique fures suspendi ipse statuatur. Quod si tamen Principis voluntate Jus Divinum lædi credat, officio se abdicare poterit. Conf. LEYS. Specim. III. med. 7. ubi statuit: quod Judex ex evidente æquitate legem, inconsulto etiam Principe, mitigare & interpretari valeat vid. ZIGL. de Jurib. Majest. Lib. I. c. 6. §. 15. alias autem adhuc adnotanda h. l. ARN. a REYER. Explicatio Problematis: *Utrum judex judicare debeat secundum conscientiam an vero secundum allegata & probata?* Francos. ad Oder. Anno 1600.

§. IV.

Occasione præcedentis quæstionis ulterius quæritur: *An judex in pronunciando juxta privatam scientiam & conscientiam sententiam proferre possit, an INVITVS secundum Acta & probata judicare teneatur?* Satis ardua est hæc quæstio, quæ animos Doctorum jam diu pro & contra exercuit. Quidam scil. indistincte asserunt, judicem ferre debere sententiam Actis & probatis conformem v. l. 6. §. 1. de Offic. Præs. quoniam sententia conformis esse debet libello v. l. 18. Commun. divid. præprimis quoad objectum & causam petendi; cui sententiæ accedit SCHÖPFFER in Synopsi Jur. priv. Tit. de Re judic. n. 27. Alii vero quos inter est ZIGLERVS ad O. P. S. Tit. XXXIV. V. in facto putant: Judicem in casu proposito non secundum Acta, sed conscientiam judicare debere, cum una tantum & simplex sit veritas J. VIN-

Alii eum juxta privatam conscientiam pronunciare possit?

Quidam putant judicem indistincte juxta Acta & probata judicare debere.

Alii eum juxta Conscientiam judicare debere asserunt.

NIVS

Rectius di-
stinguitur.

In causis civi-
libus judicari
juxta Acta &
Probata.

In Criminali-
bus subdistinguitur.

NIVS ad Pr. Instit. de offic. Judic. Alii denique, quibus & ego, donec meliora edoctus sim, calculum meum addo, distinguunt: inter causas *Civiles & Criminales*. In *Civilibus* judicem etiam INVITIVM secundum Acta & probata judicare debere existimant; In *Criminalibus* autem iterum distinguunt: Aut enim agitur *de nocente absolvendo*, aut *de innocente condemnando*. *Priori casu* judex juxta Acta & probata & non scientiam privatam sententiam ferre tenetur, quia melius est multos nocentes dimittere, quam unum innocentem condemnare; *Posteriori vero casu* melius facit judex & conscientiae suae optime consulit, si officio in hac causa renunciet, & superiori exponat causas, cur secundum Acta judicare nequeat. vid. BRUNNEM. *Exercit. XXXI. n. 8. J. HAHN, ad WESENB. Tit. de probat. § praesunt. no. X.* ubi late examinat hanc quaestionem. Conf. LUDOV. *Dissert. De Judice extra Acta aliquid asserente*; It. Excell. Dom. TENZEL *in Programmate*: De Judice contra leges judicante *Erf. 1720.* occasione dissert. *De cura maritali*, emissio. De caetero quod dicunt *sententiam conformem esse debere libello*, notanter LEYSERVS *Spec. CIX. medit. 9. p. m. 458.* Pertinet, inquit, hoc ad Jus antiquum formularium & officium Judicis mercenarium, quod diu sublatum est, ut adeo religio judicantis intra tam arctos cancellos non amplius coerceatur. Uti etiam pronunciarunt Jcti Helmstadiensis *Mense Februar. MDCCXXII.*

§. V.

Servitus de-
scribitur.

Ab his ad servitutem progredior; Describitur autem, quod sit *constitutio Juris Gentium, qua quis alieno dominio*

minio contra naturam subjicitur v. §. 2. Inst. de Jur. pers.
 INVITVS igitur aliquis in servitutem ducitur, jure enim
 naturæ servitus est incognita, natura quippe omnes
 produxit æquales l. 32. de R. I. Tales servos autem, de
 quibus definitio allata loquitur, ob sublatam inter Chri-
 stianos servitutem hodie amplius non habemus; an-
 non vero ex usu Reipublicæ esset, INVITIS etiam qui-
 busdam statibus servitutem inter Christianos introdu-
 cere? haud difficile affirmari poterit; Certe plures jam
 diu hoc optarunt, ob incommoda conductionem fam-
 ulitorum concomitantia, quorum vilissima ingenia
 exiguo & sæpe nullo honestatis & internæ obligationis
 sensu pollent, adeoque vix ad officium redigi possunt,
 nisi aliqua coactione, quæ tamen in hac servitutis spe-
 cie plane exulat, nisi quod extremum Dominis super-
 fit remedium, *ejectio e familia*, quam nihili æstimant,
 qui alium quotidie herum inveniunt, vel quibus opes
 ad brevem sustentationem sufficiunt, vel a turpissimo
 alimenta quærendi genere ex mercede meretricia, fur-
 tis, latrociniiis, mendicatione non abhorrent. Cum ve-
 ro servitutis introductio a multis magis optetur, quam
 speretur, præstaret ad minimum, quia famulorum mo-
 dernorum malitia de die in diem augetur & mille mo-
 dis dominis molestias creant, si famuli famulæque a
 nemine reciperentur, nisi testimonia a prioribus domi-
 nis producere possent, hoc enim modo sine dubio mo-
 rem gerere tenerentur, bene scientes se alias nullum ac-
 cepturos esse testimonium & consequenter ab aliis non
 recipi; Posteriorum autem dominorum etiam interes-
 set, quia probabiliter securi esse possent de famuli bo-
 nis

An ex usu Rei-
 publicæ sit, ut
 servitus ite-
 rum introdu-
 catur?

B nis



nis moribus. Hoc puto facile INVITIS etiam famulis modernis introduci, multasque inconvenientias jurgia atque rixas evitari posse. Conf. BEYER in *Centuria Thematum ex vario jure selectorum Exercit. VIII. p. 55. it. BARTHOLD. de subtilitatibus juris sublatis. C. II. n. 26. seq.*

§. VI.

Servis in foris Christianorum, uti dictum, destituimur, nisi, quod nobis licet, quoad mancipia Turcica jure retorsionis uti velimus; Loco horum autem in multis Germanicæ locis homines proprii inveniuntur, qui sunt vel *Originarii*, qui ex hominibus propriis nati *l. 4. C. de agric. & cens.* & hi omnino INVITI parentum conditionem subire tenentur, vel *Adscriptii* sive *Novitii*, qui homines proprii facti sunt *a. l. 23. §. 1. C. eod. vid. MENCKE in Theor. & Praxi Pandect. Lib. XL. Tit. I. §. 10. p. m. 1124.* quibus etiam annumeramus *Wildfangios*. *Wildfangii* vero sunt in Palatinatu Rheni & vicinis regionibus; Nam Elector Palatinus ex antiqua consuetudine & privilegio Imperatorum habet jus extra legitimum matrimonium natos, aliosque advenas, qui in Palatinatu & vicinis locis nonnullis *per annum & diem* commorantur, etiam INVITIS iis, in proprios homines redigendi, quod vocatur *Jus Wildfangiatus*; de quo *vid. OLDENB. ad Instrum. Pac. P. I. disc. 26.* Proreceptione in numerum *Wildfangiorum* præstatur certa merces & deinde talis *Wildfangius* pendit certos nummos, ova vel gallinas. Si ejusmodi *Wildfangius* moritur extra conjugium, vel sine parentibus, sobole & fratribus; ab intestato succedit Elector Palatinus. De hoc jure a nonnullis Vicinis Imperii statibus; Electori Palatino ante

Wildfangii quid sint?

Quid præstare tenentur?

quingenta, & quod excurrit, annos controversia mota est, sed per arbitros compromissarios, videl. Regem Gallie & Suecia pro Palatino Heilbronne MDCLXVII. die 17. (7.) Februar. fuit decisa.

§. VII.

Offert se nunc patria potestas; Non disputabo hoc loco, an moribus hodiernis Jus patriæ potestatis, quatenus Romanis peculiare fuit, in desuetudinem abierit? quod statuunt GVDDEL. de Jure Nov. Lib. 1. c. 13. §. 5. it. GRÆNEW. de LL. abrog. ad §. 2. de PP. aliique. Certissime enim mihi persuasum habeo, si aliquid concedendum sit, hoc non de omnibus Patriæ Potestatis effectibus, sed de uno alterove intelligendum esse v. gr. quod pater hodie judici sententiam, quomodo filium immorigerum punire debeat, amplius præscribere nequeat: ne Pater ira commotus, rigidius quid statuatur in Liberos v. CARPZ. in Pr. Crim. qu. 100. n. 35. quamvis ejusmodi filium immorigerum, etiam non requisito, imo INVITO JUDICE ergastulo privata auctoritate includere possit. v. omn. LEYSER Spec. XVII. medit. 3. Hoc saltem quæritur hoc loco, an INVITO Patre, Liberi in potestate patria constituti ab ea se liberare possint? quod regulariter negandum. Interim tamen varii dantur casus, ubi etiam patre INVITO hoc contingit; v. gr. 1.) si pater filium durius contra pietatem habeat l. ult. si a parente. 2.) si patri quid sub ea conditione sit relictum. l. 42. de Condit. & Demonstr. 3.) si filias prostituat l. 12. C. de Episcop. audient. l. 6. C. de Spect. 4.) si liberos exposuerit aut ægrotautes non curaverit l. 2. C. de infant. exposit. 5.) si pater ince-

Patria Potestas hodie non est sublata.

An filius patre invito se liberare possit à patria potestate? Regulariter negatur. L. limitatus.

200pup



inceffas contrahat nuptias. Nov. 112. c. 2. 6.) si denegat alimenta a. l. 4. de liberis agnosc.

§. VIII.

An invito patre filius vel filia peculiam æconomiam instituere queat? Affirmat Carpzov, Mollerus & Bayer. Alii hoc negant.

An vero INVITO patre filius vel filia instituendo peculiam æconomiam à P. P. se liberare possint? non est una Doctorum opinio CARPZ. P. II. C. X. def. 1. n. 4. MOLLER. ad d. C. it. BEYER. in posit. jur. Germ. Lib. I. C. 26. posit. 80. hic non requirunt patris consensum, cum maturitas ætatis sufficere & filius vel filia se suaque curare possit. Alii vero aliter sentiunt; quia hic omnia legaliter i. e. juxta ordinationem divinam & humanam fieri convenit. Reverentia autem & obsequium, quod liberi suis parentibus natura debent, exigat, ut cum isti discedentes a sacris paternis partem familiæ paternæ minuunt & se a patre, a quo vitam & sustentationem hætenus acceperunt, separent, id, volente eo, faciant, nec eo INVITO jus ei competens adimant. Nec l. 31. de adopt. & l. 4. C. cod. abolitæ, queis filius, qui in potestate patris est, regulariter nullo modo patrem compellere potest, ne in ejus potestate sit. De matrimonio filiæ hoc certum est, quod hæc per matrimonium INVITO patre, de facto se eximat a nexibus patriæ potestatis, nec per mortem matrimonio dissoluto in patriam potestatem recidat, sed sui juris maneat, quoniam jus patriæ potestatis semel extinctum reviviscere non potest a. l. 66. §. 1. de legat. 2. l. 98. §. 8. de solut. v. CARPZ. c. 1. def. 2. Idem de matrimonio filii passim tradunt Doctores, quod etiam in multis Germaniæ locis obtinet, v. MEV. ad Jus Lubec. Lib. 1. Tit. 3. Rubr. n. 35. BERL. P. II. Concl. II. n. 32. Cum quibus

Matrimonium filiæ eam liberat à P. P.

Idem in multis Locis Germaniæ in filio obtinet.

quibus Jura Polonica, Italica, Gallica, Hispanica, Anglica &c. consentiunt. SIMON *van LEEWEN in Censur. forens. Lib. 1. cap. 9. n. 9. BERL. d. 1.* In Electoratu tamen Saxoniae matrimonium non liberat filium a patria potestate, nisi simul peculiarem instituat oeconomiam; Rationem diversitatis, cur in filia aliud obtineat. *vid. penes CARPZ. c. 1. def. 3.*

Non procedit in Electoratu Saxoniz.

§. IX.

In negotiis matrimonialibus, per omnia maxime liberrimus consensus requiritur; aliquando tamen & hic, ubi INVITIS contrahentibus aliquid accidit, occurrit. Sic *v. gr.* si bina sponsalia de praesenti sint celebrata & posterioribus accesserit benedictio sacerdotalis, tunc INVITA priore sponsa juxta *communem opinionem* posteriora, benedictione sacerdotali firmata, subsistunt, honestatis publicae causa & scandali vitandi ergo *v. CARPZ. Lib. II. def. 60.* Jus tamen Canonicum contrarium statuit, & sponsalia priora de praesenti, posterioribus de praesenti, etiamsi haec copula sacerdotali sint firmata, praerenda esse, INVITA SPONSA posteriore, disponit in *c. pen. X. de sponsal. & c. 3. X. de sponsal. duor.* quae capitula interdum a Protestantibus observantur, quod exemplo sequenti illustratur: Miles quidam gregarius, qui camentarius erat, cum vetula quadam ancilla Brunsvigae publica celebraverat sponsalia ab eaque nonnihil argenti acceperat. Postea hujus facti eam poenitet, abitque Valerslebiam, ibique cum virgine juvene, quae ignoravit eum jam tum esse desponsatum, praevia proclamatione nuptias contrahit. Brunsvigam cum conjuge nova rediens, a priore sponsa accusatur, Aetate ad Facultatem Juridicam

Si bina sponsalia celebrata, quae nam praerenda?

Casus notabilis.

Lipsiensem transmittuntur, a qua tale responsum fertur: Si prior sponsa juri suo cedere nollet, sed constanter peteret in matrimonium sponsum suum, qui aliam jam tum duxerat uxorem, ut tum soluto matrimonio priori adderetur sponsæ, & poenam carceris ad IV. septimanas sponfus sustineret aqua & pane cibandus. Quem casum refert HOMBORG in Prælect. Academ. ad Instit. Lib. I. Tit. X. §. 2. p. 62. Recte omnino sic judicatum esse, censeo, quia benedictio sacerdotalis accessit rei illicitæ, & deceptus est ecclesiæ minister, ignorans sponsalia præcessisse, ut hinc factum ministri dolo elicatum, jus tertio quæsitum, adimere nequeat; Imo merito hoc extendimus etiam ad eum casum, si præter benedictionem sacerdotalem ad posteriora sponsalia etiam accesserit concubitus c. 30. seqq. X. de sponsal. BERL. P. IV. C. 28. n. 67. quia sponfus ab obligatione priori sponsæ legitime quæsitæ, improbo suo facto se liberare non potest. Consentit Ill. BERGER in Oecon. Jur. p. m. III. seqq. dissentit CARPZ. cit. Lib. II. def. 66. qui tamen antea ipse secus statuit Quæst. Crim. 67. n. 57. j. SCHILTER Exercit. ad τ. 36. th. 61. seqq. BRÜCKNER. Dec. matr. c. XXI. n. 16.

§. X.

Alius casus *b. l.* in mentem venit: Quæritur scilicet si quis puellam imprægnavit condemnatusque est, ut eam aut ducat, aut certa summa definita dotet, nihil vero in bonis habeat, ut determinatam quantitatem pecuniæ solvere non possit, an non INVITVS cogendus sit ad matrimonium consummandum? quod mihi affirmandum omnino videtur: quoniam hoc ipsum fluit ex natura

An stuprator,
qui dotare
non potest a
se stupratam,

tura obligationis alternativæ, in qua alterum *absolute* & *precise* debetur, si alterum ex alternativis præstari non possit; alias enim sine omni effectu foret sententia, si neutrum præstare stuprator vellet, nec justitiæ, nec parti læsæ satisfaceret. Hoc igitur casu admittendum, ut vel INVITVS trahi possit ad copulam sacerdotalem, nec attendenda sit ejus reclamatio, utpote quæ nullum producere potest effectum. Et si post *negotiorum* in contumacia perseverat, cum eo, ut malitioso desertore, agi potest.

eam precise ducere tenetur?
Affirmatur.
Ratio.

§. XI.

Casui præcedenti alium subijcio: Sponsus cum sponsa concubuit & deinde deferere vult sponsam; *non INVITVS ad matrimonium consummandum adigi possit?* Dicendum quod sic. Qui enim fidem dedit de matrimonio contrahendo, subsequuta copula carnali, matrimonium consummasse putatur. *C. 30. X. de sponsal.* Sponsalia quippe *juxta vulgatam regulam*, per concubitum transire in matrimonium, quoniam ipso concubitu *consensus conjugalis*, præsumptione Juris & de Jure, satis declaratus est, qui inducit vinculum indissolubile. Quomodo vero sponsæ imprægnatæ consulendum, si sponsus aufugiat? Respondetur, edictaliter omnino citandus erit, ubi si non comparuerit, tandem per sententiam pro uxore fugitivi legitima declarari & in ejus bona cum omnibus effectibus juris mitti poterit. Atque ita ex *accidente* contingere potest, ut *sententia judicialis* idem operetur, quod alias benedictioni sacerdotali adscribitur. *Conf. Dec. El. 49.* Hæc enim alicubi, uti in Belgio plane adhiberi non solet, sed sine hac *co-*

An Imprægnator invitus copulari possit?
Affirmatur.
Ratio.

quid si aufugiat?

Copula sacerdotalis ubique non frequentatur.

ram Notario & testibus nuptiæ valide contrahuntur.
v. PHILIPP. ad d. Dec. n. 20.

§. XII.

An ob sponsalia publica celebrata aliquis invitius cogi possit ad matrimonium consummandum?
Negat Jus Canonicum.

Quid vero si publica sponsalia sint celebrata & alterutra pars matrimonium copula sacerdotali consummare nolit; *annon INVITVS ad consummationem erit adigendus?* Negant hoc Canonistæ per cap. XVII. X. de sponsal. quia ibidem dicit Pontifex: *Ad que tibi breviter duximus respondendum, quod mulier, quæ se nupturam juravit, cum libera debeant esse de jure matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum maxime coactiones difficiles soleant exitus habere frequenter.* Quia vero hæ rationes saltem sunt politicæ quò scil. evitentur ripæ perpetuæ, inimicitia capitales, cædes &c. hinc apud Protestantes indistincte locum non habent, nec enim *effatum quos Deus conjunxit, homo non separet*, abrogare possunt. Ideoque si reluctantes causam justam, probabilem ac sufficientem proferre nequeant, neutriquam temeritati ac malitiæ dissentientium venia danda, a. l. 38. de R. V. quin potius INVITI ad consummationem matrimonii sunt cogendi. v. BEVST de sponsal. cap. 61. v. *hic sciendum est Consent. Ordin. Eccles. Elect. sub Tit. von Ehegatten/ so einander bößlich verlassen/ circa finem, in verbis: So sollen sie beyde oder das eine Theil unversäumlich mit Gefängniß so lange gestraffet werden/ bis sie einander/ wie sich solches gebühret/ ehelich beywohnen.* Vide varia præjudicia in hanc rem apud CARPZ. Lib. II. def. 133. Quam sententiam etiam approbat ALEXANDER III. in cap. X. de sponsal. Ad cap. all. 17. respondet SANCHEZ. Lib. I. de matrim. disp. XXIX. n. 4. scil.

Apud Protestantes affirmatur.



scil. tunc demum refractarium non esse cogendum, si
 justa causa obtulerit. Iudex igitur utramque audiat
 partem, & (si aliquo modo fieri possit) ab absoluta coactio-
 ne absteineat, quod præcauent rationes a Pontifice *cit.*
c. 17. de sponsal. adductæ. Proinde si sponsa prorsus re-
 fractaria est, ut nullo modo adduci possit ad matrimo-
 nium consummandum, dissolvenda potius sponsalia &
 refractaria condemnanda: 1.) in expensas 2.) ad inter-
 esse parti præstandum 3.) in poenam pecuniariam, & in
 milden Sachen/ uti loquuntur 4.) sæpe etiam *penitentia*
ecclesiastica decernitur *vid. STRYCK de diss. sponsal. sect. 2.*
§. 49. Poena *cælibatus* etiam ad certum tempus decer-
 ni solet, *sed non adeo commode,* uti ostendit *LVDOVICI,*
Dissert. de pœna cælib. Gravior animadversio constituta
 est in *renov. Ordin. Guelpberbyt. P. I. p. 107.* ubi ita: Wann
 einer/ oder der ander solches sich gelüsten lassen wolte/ soll der/
 oder dieselbe gleich einem malitioso desertore oder deser-
 trice gehalten und so wohl seinem Gegentheil in dasjenige/
 was demselben der Eheberedung und gemeinen Rechten nach
 gebühret/ als uns und unsern Gerichten in schwere willkühr-
 liche Straffe verfallen seyn/ anderweite Verlobung und Ver-
 ehligung auch demselben absque plenissima causæ cogni-
 tione und ohne höchst erheblichen Ursachen nicht verstatet
 werden. *Conf. CARPZ. Lib. II. def. 134.*

ad h. melior
 - magis mag
 - magis mag
 - aut

Pœna refra-
 ctaria.

amibbA
 - magis mag
 - magis mag

S. XIII.

A nuptiis ad tutelam progredior; Est autem juris
 notissimi *tutelam & curam* esse munus publicum *v. Princ.*
Inst. de Excusat tut. vel curat. Cum vero ad munus pu-
 blicum subeundum aliquis cogi possit, sequitur sua spon-
 te, quod tutor tutelam & curator curatelam etiam IN-

Tutela & Cura
 ra sunt mu-
 nera publica.

Tutor & Cu-
 rator invitad

C

VITVS

tutela & Cu-
sam geren-
dam cogun-
tur.

Adducitur,
A. B. in mate-
ria tutelæ.

Dissensus ra-
tione A. B. loc.
cit.

VITVS gerere teneatur, nulla adhibita distinctione, an tutela sit *testamentaria, legitima, an dativa*; quia ubi eadem ratio, ibi esse debet eadem juris dispositio, & ubi lex non distinguit nec nostrum erit distinguere. At per §. 6. *Instit. de Artil. Tut.* impuberes in tutela esse, naturali juri conveniens est: ut is, qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur. Imo quod maximopere pupillis sit prospiciendum, ex eo liquet, quoniam DEUS ipse pupillorum patrem se vocat. *Pf. 68. v. 6. Deuter. 10. v. 18.* & jussis ejus gravissimis obligantur *Exod. XXII. v. 22. Job. XXIV. 9.* hinc tutelæ violationem atrocioribus comparant criminibus, quibus DEUS irascitur & tandem gravem exhibet talionem. Quæ non tantum inter privatos, sed etiam suo modo inter Principes Imperii obtinet; Sic enim *Aur. Bull. Cap. VII.* disponit: Et tamen *conditione & modo, ut si Principem seu ejus primogenitum, aut filium seniore laicum mori, & heredes masculos & legitimos, laicos, defectum ætatis patientes, relinquere contigerit, tunc NB. frater senior ejusdem primogeniti tutor & administrator existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit, quam in Principe Electore XVIII. annos completos censeri volumus. v. late à PÜHEL de tutelæ Electorum, Principum, aliorumque S. R. I. statuum in spec. cap. V. it. BECHM. de Privatorum, Principum ac Nobilium tutelæ cap. 11.* Obiter hoc loco notandum, quod plerique asserant, tutelam testamentariam in Electoratu sibi non vindicare locum, sed mox legitimo tutori, seu proximo agnato deberi tutelam ex dispositione *Aur. Bull. c. l.* quam sententiam Imper. & plerorumque Electorum voto roboratam adstruit L Y M N. de *Jure Publ. Lib. I. c. 11. n. 103. seqq.*

Con-

Contrarium tamen defenderunt DYON. GOTHOFRED. & MARQV. FREHER *de tut. Elect. it. VNRATH de tutel. Elector. testament. th. 2. vid. omnino COCCEJVS de tutel. Illustrum, Sect. III. §. 7.* Dicta, *ceteris paribus*, etiam in tutela feudali obtinent, quia hoc Jure de tutela in specie nihil cautum, igitur hæc materia ex reliquis Juribus, consuetudinibus, moribus, statutis &c. supplenda *vid. STRYCK. Exam. Jur. Feud. cap. VII. qu. 10. seqq.* Perplura equidem circa jus personarum, *de iis, quæ nobis invitis fiunt*, essent adducenda; Ne vero nimis excresecat *Cap. I.*, sufficiant hæc. **Converto me itaque ad**

CAP. II.

DE IIS, QUÆ NOBIS INVITIS FIUNT, CIRCA JVS RERVVM TAM IN RE, QUAM AD REM.

Omissis iis, quæ secundum modos naturales, quibus Dominium acquiritur, *scil. circa Occupationem, Accessionem & Traditionem*, sæpillime nobis INVITIS fiunt, cum alias solus titulus *de Rerum divisione, integrum tractatum requireret*, in hoc capite ita verfabor, ut saltem hinc inde, ex hoc, vel illo titulo casum quendam formem illiusque praxin forensẽ simul ostendam, ab usu autem remota & subtilia sicco præteream pede, illisque, qui ingenio & otio abundant, relinquam. *Conf. BARTHOLDI de subtilitatibus Juris sublati.*

offendit hanc
sunt hinc hinc
et hinc hinc
hinc hinc hinc
hinc hinc

hinc hinc hinc
hinc hinc hinc
hinc hinc hinc

Tractatio hinc
jus Capitis

hinc hinc hinc



An venatio
subditis invi-
tis recte à su-
periore adim-
natur?

Affirmatur.
Rationes ad-
ducuntur.

Objectiones

Responſio.

Videbimus itaque primo loco: *An venatio subditis INVITIS a superioribus recte sit adempta?* quod affirmare nullus dubito. Licet enim ferae ex permissione naturali sint communes, illa tamen communio desit, postquam lex civilis circa illam libertatem aliter statuit. v. GRO T. *de J. B. & P. Lib. II. c. 2. §. 5.* Principi autem in rebus, jure divino non interdictis omnino oportet morem gerere. Illud enim salus reipublicae requirit v. HOB B E S. *de Civ. C. V. §. 6.* Nam feras si sectarentur subditi, pacem publicam exinde turbari eveniret, cum sine armorum subsidio venari vix quis possit; armis autem instructi ad rebelliones promptiores paratioresque sunt. Subditi etiam ab officiis suis avocarentur; mercatores a mercatura; mechanici ab artibus mechanicis, & rustici ab agricultura, ut tandem tritum illud iterum in usum veniret: *Es würde ein jeder auf seiner saulen Bärent-Haut liegen/ non sine insigni Reipublicae dispendio.* Tandem & hoc consequeretur, ut ferarum genus periret. Hinc laudabilem & reipublicae maxime salutarem constitutionem fecit FRIDERICVS, Imperator, *in lit. de pac. ren. & ejus violat. §. si quis rusticus. 5. vers. nemo retia & c. 11. feud.* ut nemo aut laqueos, aut alia quaelibet instrumenta ad capiendas feras tendat, nisi ad urfos, apros, vel lupos capiendos. Objiciunt communiter dissentientes *Cap. 1. Genes. v. 26. 28. & 30.* aliaque scripturae sacrae loca, in quibus ex lege DEI omnia animalia homini subjecta esse dicuntur. *Conf. MENOCH. Conf. 298. BETAZOLL. Conf. Civ. 21. n. 44. & FRANCH. Dec. Neapol. 158.* In specie vero ad *dict. text.* ex Jure Divino

Divino per instantiam responderi potest: *Quod scilicet eadem lege animalia mansueta quoque homini subjecta sint, quæ tamen singuli hodie sibi vindicare nequeunt, sublata nimirum per lapsum bonorum communione.* Idcirco adducta scripturæ sacræ loca sic accipienda erunt: quod omnes bestię licet ferocissimæ hominem metuant & expavescant eumque ceu dominum suum revereantur. Quam expositionem ex *Genes. Cap. IX. v. 2.* hisce verbis: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ & super omnes volucres cæli, cum universis, quæ moventur super terram,* post D. LVCAM OSIAND. & BRENT. HARPRECHT ad §. 12. *Inst. Rerum Div. v. ANTONIVS de PETRA de potestate Principis, C. VII. n. 10.* ubi causas quare Princeps subditis facultatem venandi eripere potest, recenset. Sic, uti certe opinor, HONDEDVS impingit, & DECIVS *Consil. 197.* qui plane nullis ex causis subditos a jure venandi excludi posse, putant.

§. III.

Unicum adhuc casum ex *Tit. de Rer. Div.* quo de valde inter Dd. controvertitur, hoc loco adducam: *An scilicet Vassallus thesaurum in re feudali inventum INVITO Domino directo totum sibi vindicare possit?* Tres præprimis hic deprehendimus Doctorum opiniones: a) quidam indistincte vasallo thesaurum a se inventum INVITO Domino directo adjudicant quod statuit STRYCK. *Ex. Fur. Feud. cap. II. qu. 18.* NIELLIVS *Disp. feud. XI. th. 6.* SCHNEIDEW. *ad Instit. §. 39. de rer. div. CARPZOV. P. II. C. 53. def. 6.* b) alii vero simpliciter pro domino directo pronunciant, 1) quia ad hunc spectat interitus rei, 2) quia thesaurus inter incrementa referri

Ad quem pertinet Thesaurus in fundo feudali inventus?

Tres referuntur opiniones.

a)

b) *scilicet si cum thesauro sit in fundo et non sit thesaurus in fundo*



non potest, quoniam per sensum communem thesaurus non accrescit, sed potius in re latet, 3) quia dominium directum penes dominum remanet, ergo qui in feudali fundo tanquam alieno, thesaurum invenit cum domino dividet. *a. l. 63. §. 3. de acq. rer. dom. v. LVDWELL de feudis cap. XV. p. 302.* c) Denique illorum opinio, qui statuunt thesaurum in re feudali inventum inter Dominum atque Vasallum dividendum esse, improbabilis non videtur ob commune Domino directo & Vasallo dominium competens; Dominus enim directus concessit Vasallo tantum utile dominium, seu fundi usumfructum, atqui omnibus constat, thesaurum, cum quotannis non renascatur, in fructu non esse; Nec obstat, quod Vasalli jus sit pinguius jure usufructuarii; Respondetur enim, in eo tamen conveniunt, quod uterque dominus non sit, & ad neutrum rei totius interitus spectet. *a. 2. f. 33. insuper Dominum directum vasallo tantummodo usumfructum earum rerum, quibus regulariter uti frui solemus, concessisse, non vero earum de quibus forsitan nemo cogitare potuit, ad non cogitata autem hoc negotium extendi non debet. v. pluribus BITSCH de thesaur. P. II. §. 148. p. 103.* Si vero thesaurus a tertio in fundo feudali repertus sit, plerique hunc inter inventorem & vasallum dividendum esse putant. *a. §. 39. de R. D. conf. TEXTOR Prax. Judic. P. II. cap. II. n. 7. 8. § 9.*

Obiectio.
 Responsio.

§. IV.

In materia servitutum multa nobis invis sunt. Exemplum I.

In materia servitutum perplura, quæ nobis INVISI sunt, contingunt, quorum nonnulla in hoc §. adducam sic v. gr. I) venditis rebus vicinorum, ceteris vicinis

cinis hoc datum est, ut pretio interveniente, eas retrahere sibi que ipsis, aliis invitis, acquirere possint. Quod quidem à Jure Civili Romano non est introductum neque tamen eidem contrarium, indeque in *Gallia* teste ANT. FABR. ad l. 1. C. de S. S. Eccl. in *Hispania*, TIRACVELL. in *prefat. de Retract. lign. Hollandia*, SIMON VAN LEEWEN, in *Cens. Forens. ad Tit. Pand. de contrah. emt. Germania* & imprimis *Thuringia*, FRITSCH. in *Supplem.* SPEIDEL, BESOLD. *Rubr. Thüringische Gewohnheiten* / receptum illud legimus. 2) fundo emto, ad quem aditus non patet, nisi per vicini fundum, hactenus illud Juris emtor acquisivit, ut vicinum etiam INVITUM cogere possit, quo pro legitimo pretio accessum concedat. BOER. *Dec. 222.* licet alias nemo res suas vendere teneatur l. 9. *Rer. amot.* quod enim alicui ita prodest, ut nemini noceat, facile est indulgendum l. 2. §. 5. *de aqua & aquae pluv.* 3) fructus ex arbore mea in fundum vicini decedentes etiam tertia die, vicino licet INVITO, colligere possum, v. l. *Un. de gland. leg. conf. Dn. D. ETTMÜLLER Dissert. Inaug. de jure iridui Altdorff. 1720.* Jure vero Saxon. fructus vicini ex ramis vicini in meum fundum cadentes, etiam vicino INVITO colligere possum, v. *Land. N. Lib. II. art. 52. junct. ibi Gloss.* Was von des Baumes Aesten / so über des Nachbarn Guth hangen / vom Dbst reichet / und auf desselben Grund abfällt / soll desselben Nachbarn seyn und verbleiben / add. CARPZ. P. III. C. 32. D. 25. 4) Vicini aedificium, orto incendio, mei defendendi causa dissipare possum, vicino INVITO, nec actio in factum ex Edicto *de incendio, ruina &c.* locum habebit, l. 3. §. 7. *de incend. ruin. & naufr.*

- 5) *naufr.* 5) *Ædes meas, INVITO vicino, altius tollere, vicinique lumina obscurare mihi integrum est. l. 9. de serv. præd. Urban. l. 8. § 9. de servit.* quod mihi licet etiam si domus steterit non ædificata vel depressa per mille annos. 6) Emere, vel conducere possum ædes, ut in iis ea, quæ sunt meæ artis & professionis INVITO vicino, exerceam, v. *TABOR de jur. Cerev. cap. IV. §. 1.*
- 7) 7) Fenestram INVITO vicino aperire & in ejusdem fundum prospicere possum, v. *CARPZ. P. II. C. 41. def. 12. conf. MEVIUS ad Jus Lubec. P. 3. Tit. 12. a. 13. n. 8. seqq.* ut infinita alia huc spectantia intacta relinquam.

§. V.

Ad donationis materiam me nunc converto, ubi quidem omnino concedendum, patrem v. gr. INVITIS liberis per donationem in legitima præjudicare non posse; & si hoc fecerit, liberis competere *querelam inofficiose donationis per l. 5. § 7. C. de inoff. donat.* Sic etiam pronuntiavit *Fac. Jur. Lips. Mens. Febr. 1701. v. MENCK. Theor. & Prax. p. m. 1109.* Quo loco ob connexionem materiæ alium casum a Dd. valde controversum inferre libet: *An scil. pater bona sua vel omnia, vel maximam illorum partem INVITIS liberis alienare possit? communiter dicunt, sive bona sint donata, sive vendita, si liberi læsi sint in legitima his competere querelam inofficiose donationis seu venditionis; Liberi quippe, vivis etiam adhuc parentibus, quodammodo jam sunt rerum paternarum domini l. 11. de liber. & posth. §. 2. J. de hered. qual. & differ.* Illos hinc inde legitima defraudare impium omnino esse; Hinc liberis actionem quasi *Calvisianam* &

An pater bona sua omnia, vel maximam illorum partem, invitis liberis, alienare possit? Communiter negant.

& Fabianam, qua alienatio fraudulenta, quoad legitimam revocatur, concedunt, vid. CARPZOV. P. II. C. 12. def. 36. j. SCHVBERTH *dissert. de venditione inofficiosa*, Lips. 1723. *hab.* Mihi vero hæc opinio, quod pace dissentientium dictum sit, semper suspecta visa fuit; Dominium enim liberorum in bonis parentum, quod adversarii maximopere urgent, non tam largum agnoscit effectum, ut ante obitum eorum quicquam juris circa patrimonium sibi sumere aut patri liberam dispositionem adimere queant. v. l. 1. §. 12. de *success. edict.* sed ubi parentum liberum moderamen & arbitrium in bonis inconcussum manet natorum jus iis viventibus in spe saltem futuræ successione & alimentorum securitate acquiescit, v. Ill. BERGER. *Dissert. de natura domini, quod liberis in bonis parentum adhuc viventium competit ejusdemque potissimis effectibus*, in *ejus Volum. XXXV.* Consequenter liberi factum patris, qui liberrimus administrator fuit. l. 21. C. de *pañ.* præstare, illique contravenire non possunt, a. l. 14. C. de R. V. cum certo certius sit: *Viventis nullam esse legitimam* v. THOMAS. *de legitima viventis.* Hisce similibusque rationibus motus, verior mihi videtur sententia: *Liberis ob alienationem a patre inter vivos factam, (si de fraude expresse non constet,) non competere querelam inofficiose venditionis;* id quod etiam ceteris paribus ad donationem extendi posse, (*si nimirum hæc doloso animo non fiat*) facile largior, cum, ubi eadem est ratio, ibi esse debeat eadem juris dispositio §. un. *Inst. de legit. Patr. tut.* Mecum consentit CVJACIUS *Parat. ad Cod. L. III. t. 29. in f. it.* HEIG. P. I. qu. 25. n. 38. nec non THOMAS. *cit. dissert.* Legitima enim

Rectius affirmatur.

D

enim

Legitima vi-
ventis quid
sit?

enim viventis est conceptus contradictionem invol-
vens. *id. c. l. c. i. §. 1.*

§. VI.

An pater ad-
huc hodie in
emancipatio-
nis præmium
dimidium u-
sumfr. retine-
re queat?

Supra *Cap. I. §. 7.* demonstravi, quod in quibusdam
casibus pater INVITVS liberos emancipare teneatur;
Hoc autem loco mihi inquirendum, an in emancipa-
tione pater adhuc hodie jure suo uti atque juxta dispo-
sitionem §. 2. *Inst. per quas person. cuique acquir.* liberis
INVITIS, dimidiam partem usufructus bonorum ad-
ventitiorum retinere queat? Distingunt communiter
Doctores inter emancipationem *expressam* seu *formalem*
ac *tacitam* seu *virtualem*. Equidem non ignoro, varios
Dd. quos inter est etiam HAHN. *ad Wesenbec. Tit. de*
Adopt. n. 7. statuere: expressam emancipationem ho-
die in usu non esse. Sed hoc qui asserunt, fallunt &
falluntur. Contrarium enim satis evincit KVLPIVS
de Adoptionibus & emancipationibus Principum, ubi §. 8.
Privatorum §. 57. autem *Illustrium* exempla, in appendi-
ce vero documenta publica exhibet, quibus historia
emancipationis a LVDOVICO Comite de Laxenstein in
Camera Imperii anno 1587. celebratæ mirifice illustra-
tur. Alia exempla emancipationis expressæ coram A-
cademia & Senatu Lipsiensi susceptæ adnotavit BARTH
in Hodeg. edit. nov. p. m. 802. seqq. ut igitur nemini de
usu hujus dubitare sit integrum, quod enim mutatum
non est, cur stare prohibeatur *a. l. 27. C. de testam.* Ac-
cedit, quod interdum necessario & INVITO patre hæc
emancipatio fieri debeat *v. gr.* quando pater contra-
ctum cum filio vult celebrare. Hic enim contractus
invalidus est. *l. 2. pr. de contrab. emr.* nisi emancipatio
præ-

præcesserit. In hac vero emancipatione expressa, **IN-
VITIS liberis**, patrem adhuc hodie dimidiam partem
ususfructus bonorum adventitiorum retinere posse, sta-
tuunt **HUBERVS in Lexion. Jur. Controv. tit. per quas per-
son. cuique. it. HOPP. in Comment. ad d. r. §. 2.** quam sen-
tentiam **Ill. BERGER in Oecon. p. m. 287. Nota 9.** præju-
dicio **Jctorum Vittemberg.** confirmat. Aliud vero di-
cendum de emancipatione *virtuali* seu *tacita*, ubi pater
bona adventitia liberis pleno jure restituere tenetur. v.
**CARPZ. P. II. C. X. d. 5. COLER. P. I. Dec. 41. Land-R.
Lib. I. a. 11.** Conf. **BEYER in posit. Jur. Germ. Lib. 1. Cap.
26. pos. 80.** usque **86.** rationem diversitatis reddunt, quia
in *tacita*, liberi non tam facto patris emancipantur
quam statuto, consuetudine &c. sic disponente **HOPP.
c. l.**

Affirmatur in
expressa.

Negatur in ta-
cita seu vir-
tualis.

§. VII.

Ex materia testamentaria unicum tantummodo
addere lubet casum: scil. *An liberi fideicommissò gravati,
præter legitimam etiam Trebellianicam INVITO fideicom-
missario deducere possint?* In theoria de *Jure Civ. Dd.* hoc
negant *per l. 6. C. ad SCtum Trebell. §. l. 8. §. 9. 11. §. 15.
ff. de inoffic. testam.* quia ibi legitima imputatur in Tre-
bellianicam, ut sic, qui legitimam habet, etiam habeat
Trebellianicam *l. 91. ff. ad Leg. falcid.* nec ultra dodran-
tem possit dici gravatus, qui legitimam habet. v. **HOPP.
ad §. 10. Inst. de fideicommiss. heredit. §. ad SCtum Trebell.**
De *Jure vero Canonico* quæstio hæc affirmatur & libe-
ri præter legitimam adhuc deducere possunt Trebelliani-
cam *V. Cap. Raynutius 16. & Cap. Raynaldus 18. X. de Te-
stament.* Quod autem ad *Praxin forenses*; plerique *Dd.*

An liberi
fideicommissò
gravati præter
legitimam, et-
iam Trebellia-
nicam dedu-
cere possint?
De *Jure Civili*
negant.
Ratio.

Jure Canonico
affirmatur.

In *Praxi* di-
stinguunt in-
di-

ter fideicom-
missum pu-
rum & condi-
tionatum,

distinguunt inter *fideicommissum purum & conditionatum*.
Si liberi conditionate gravati fuerint, fere unanimiter
& *Legitima & Trebellianica* deductionem permittunt, v.
HOPP. c. 1. in U. M. STRUV. Lib. II. Tit. 26. §. 8. CARPZ.
P. III. C. 1. d. 20. §. 21. HAHN. ad Wesenb. Tit. ad SCtum
Trebell. n. 6. BERGER. P. I. Resp. 300. n. 23. Aliter autem,
si purum sit fideicommissum, statuunt.

§. VIII.

Enim vero, si dicendum, quod res est, ea senten-
tia, quod liberi fideicommisso puro gravati, etiam INVITO
FIDEICOMMISSARIO, præter legitimam, Trebelliani-
cam quoque deducere possint, semper æquior ac verior
mihi visa est. Non obst. 1) regula: quod duplex lucrum

Objectio 1.

Responsio.

uno tempore concurrere non debeat. Resp. Hanc ratio-
nem esse nullius momenti, & limitandam esse eo casu,
ubi quis ex diversis causis duplex lucrum capere potest, uti
hic ubi filius duplicem personam repræsentat, unam,
qua filius, & alteram, qua hæres, adeoque etiam duplici
emolumento gaudere debet a. l. 22. de bis, quæ ut indign.

Objectio 2.

Responsio.

Non obstat 2) quod in Cap. 16. §. 18. X. de Testam. solum
de fidei commissio conditionali agatur. Respondetur
enim, tale argumentum esse maxime infirmum. Equi-
dem in factis, quæ ibi deciduntur, fideicommissum condi-
tionale occurrit. Subjicitur vero *generalis*, additur-
que quod ad quartam Trebellianicam, hæc ratio, quia
eam quilibet extraneus restitutione gravatus deducere
potuisset. Nihil de adjecta conditione dicitur. Igitur
Pontifex ad eam etiam non respexit. Filius denique
pure gravatus adhuc majorem meretur favorem vid.
STRYCK de S. A. F. D. VII. c. 1. §. 28. SCHILT. Exercit.

40. §. 22. Accedit, quod legitima non tam lucrum est, quam debitum. Egregie MEVIVS P. VII. dec. 13. n. 4. *Diverso, inquit, jure & causa competit utraque legitima. Altera, ut debitum Juris sine ullo onere; altera ut redbofstimentum operæ & incitamentum immixtionis seu aditionis. Cum vero GVIDO PAPA qu. 52. asserat, de priori sententia (quod saltem in fideicommissò conditionato utrumque deducere liceat) dubitare, esse ridiculum, atque ita per totum mundum observari; lepide propter hoc assertum jocatur LEYSERVS Specim. 405. med. 1. p.m. 1007. Jcti tamen Helmstadienses, inquit, hac in parte mundum deseruerunt atque sic Mense Decembr. 1715. responderunt: Dat Bürge Höpfer 2c. 2c. Huic sententiæ adstipulantur CHRISTIN. Vol. I. Dec. 145. & 315. SANDE Lib. IV. Dec. Tit. 7. def. 4. MEV. P. VII. dec. 19. TESSAVR. Dec. 252. it. SCIPIO du Peruer, Lib. IV. de Questions notables de Droit, aliique plures.*

Præjudicium pro auctoris opinione.

§. IX.

Relicto jure Rerum *in Re*, ad Jus ad Rem progredior, ubi infiniti fere casus, qui nobis INVITIS contingunt, se offerunt, quorum aliquot in subsequenibus in medium sum prolaturus. Circa mutuum scil. occurrit quæstio, quæ inter Dd. haud infimi subselli pro & contra, uti loqui amant, ventilata fuit. *An nimirum mutuum adhuc hodie sit gratuitum?* seu, ut clarius mentem meam explicem: *si aliquis mutuum v. gr. 1000. thaleros ad biennium acceperit, nullas vero ab initio usuras in specie promiserit, an a debitore INVITO termino solutionis appropinquante usuræ exigii possint?* Affirmant hoc RICHTER Dec. 74. n. 17. seqq. SCHILT. ad 7. Exercit. 35. §. II. BERGER in Resol.

An mutuum adhuc hodie sit gratuitum?

Negat Richter, Schilter, aliique.

sol. Lauterb. Lib. XXII. tit. 1. qu. 1. CARPZ. P. II. C. 30. def. 17. TITIVS in Jur. Priv. Lib. IV. C. IIX. §. 15.

Verius af-
firmatur.

Rationes.

hi tamen, quod cum pace tantorum Virorum dictum sit, *affirmativa* nunquam sed semper *negativa* arrisit; Jure enim Civili, in mutuo usuræ non, nisi ex stipulatione debentur vid. *Nov. 136. c. 6.* hodie autem, ubi quidem solennitate stipulationis amplius opus non habemus, loco hujus pactum quodlibet animo deliberato initum, ad minimum requiritur, quo deficiente, a tempore mutui dationis usuræ non currunt; Et ut paucis multa dicam: si textus v. gr. *l. 1. C. de condict. indeb. l. 15. C. de usur. dict. Nov. 136.* aliosque, qui pro mutuo gratuito adducuntur, penitus inspiciamus, ex his similibusve facile colligi potest: *Jura nostra in mutuo non tam precipere, sed permittere stipulationem usurarum.* Ex qua causa, si creditor ab initio usuras sibi promitti non curavit, favori suo renunciaffe & juribus, quæ mutuum gratuitum præsumunt, se conformasse videtur, hocque damnum suæ facilitati & culpæ adscribere tenetur. *V. l. 203. de R. I. j. Cap. 86. de R. I. in 6.* Non me movent, quos communiter in contrarium adducere solent, *Recessus Imperii de Ao. 1539. 1548. 1577.* sub tit. von wucherlichen Contracten *Recess. Wormat. de Ao. 1586. it. Ordin. Torgav. de Ao. 1583. nec Const. Elect. P. II. C. 30.* quilibet enim cordatus Interpretes ex evolutione dictorum Jurium videbit, illa neutiquam *de usuris*, sed NB. *de interesse moræ* tantummodo loqui; ubi ipse ego ambabus concedo, *usuras ob moram peti posse*; Ab interesse Moræ autem ad usuras, *quæ saltem ex conventionione, vel juxta dictos Recessus, post moram, tanquam interesse Moræ, non vero ut usuræ, sunt*

sunt solvenda, tuto omnino inferri nequit; quoniam inter usuras & interesse proprie sic dictum maxima est differentia. Hinc etiam BERGERVS, quem supra ut dissentientem adduxi, suam, re rectius considerata, mutavit sententiam in Oeconomia Juris p. 759. not. 5. nec non in El. Discept. Forens. p. 1654. Consentit BARTH in Hodog. p. m. 486. Et sic pronunciarunt JCI Helmstadienses Mens. April. 1719. vid. LEYSER Specim. 130. medit. 3. & 4. Conf. Dn. D. KÆSTNERVS in Programmate: Mutuum adhuc hodie esse gratuitum Lips. 1726. emiss. qui ex professo meam amplectitur sententiam.

Prajudicium
pro agente
sententia.

§. X.

Ad emtionem venditionem, quibus vocabulis veteres promiscue utebantur, ita ut ad totum contractum alterutrum vocabulum sufficiens fuerit v. l. 19. 20. de A. E. V. me nunc converto. Ubi quidem regula juris est: *Neminem invitum ad venditionem rerum suarum compellendum esse, v. l. 11. 13. 14. C. de contrab. emr. l. 16. C. de jur. delib. l. 70. de R. V. l. 9. de Act. rerum amot. facultas enim emendi vendendi est a Jure Naturali, cum quilibet de re sua pro lubitu disponere possit a. l. 21. C. mand. adeo ut privatio disponendi de rebus propriis ad arbitrium dicatur contra bonos mores v. ZASIVS in l. 61. de pact. & nemo *invitus* contrahere compellitur a. l. 5. C. de O. & A. quia gravis injuria esse dicitur, quæ inani honestatis colore velatur, ut homines de rebus suis aliquid facere cogantur inviti. v. l. 14. C. de contrab. Emr. adeo ut injuriarum non teneatur, etiamsi quis rem publice venalem habeat & tamen uni emere volenti vendere*

Ad venditionem rerum suarum nemo compellitur.

dere nolit vid. CARPZ. *Lib. I. Resp. 58. n. 14. j. ID. P. II. C. 51. def. 10.*

§. XI.

Quæ regula
tamen sepeli-
gitur.

Plato adduci-
tur.

Quibus tamen similibusve non obstantibus, sæ-
pissime aliquis *inuitus* nunc ad *emendum*, nunc ad *ven-*
dendum cogitur, quoties *scil.* interesse vel *publicum*, vel
privatum id exigit. Sic princeps ex causa justa alicui IN-
VITO rei suæ privatæ dominium, restituito tamen pre-
tio, auferre potest, quod communi Dd. calculo com-
probatum testatur. GAIL. *Lib. II. O. 56.* quia interesse
Reipublicæ, quod hoc casu præsupponitur, privatorum
interesse præferendum omnino. *V. II. f. 52. l. 3. C. de*
primip. ac publicæ utilitatis causa a juris communis re-
gulis receditur, multaque permittuntur, quæ alias in-
terdicta & prohibita sunt v. *l. 51. sub. f. ad L. Aquiliam.*
BRVNNEM. *ad l. 3. de offic. Præt. n. 8. GAIL. c. l.* Prin-
ceps autem moderate & caute procedat, suaque a sum-
mo DEO concessa sibi potestate non abutatur, nec in
regulas justitiæ impingat; lex enim Principi præesse de-
bet, non autem Princeps legi vid. HORN, *de Civit. Lib.*
II. c. 4. Hinc PLATO *Lib. IV. de Republ.* videre se, *in-*
quit, interitum reipublicæ paratum, in qua non lex Prin-
cipi & magistratui, sed legi Princeps ac Magistratus præ-
esset, salutem vero illi, ubi lex servientibus magistratibus
dominatur. *Conf. l. 4. C. de LL. l. 3. C. de Testam. l. 23. de*
Leg. 3. §. fn. Inst. Quibus mod. testam. infr. Brevissimis
absque publicæ calamitatis, vel necessitatis, Princeps
summa utens potestate, in præjudicium tertii, dicitur
vim facere & non est tutus in conscientia v. P. A. de PE-
TRA *de jure quæf. non tollendo per Princ. c. 24. n. 23.*

§. XII.

§. XII.

Ulterius cives aliquando, v.gr. tempore belli INVITI ad vivendum necessaria emere tenentur, sic müssen sich auf 2. 3. 4. Monath verproviantiren/ oder/ wer dieses nicht thun kan/ die Stadt meiden. Pari modo, suadente summa necessitate, divites & primores INVITI compelli possunt ad frumentum distrahendum pauperibus. vid. BRUNNEM. ad l. 1. n. 7. C. de Cond. in publ. borr. & ad l. 1. n. 7. C. de frument. urb. Constantin. ubi etiam INVITIS venditoribus a magistratu certum pretium annonæ statui posse, asserit: frumentum enim tempore penuriae vendere recusans, habetur, ac si cives necaret. MENOCH. Conf. 137. n. 17. J. CARPZ. Lib. I. Resp. 42. n. 15. MEV. P. II. Dec. 279. Similes casus ubi INVITVS ad vendendum cogitur aliquis, habentur in l. 43. de religiof. & sumr. funer. v. l. 7. eod. l. 10. §. fin. de jure dot. l. 13. §. 17. de A. E. l. 7. §. ult. Comm. divid. l. 34. §. 2. C. de donat. Imo quod magis est, non tantum ad vendendum, sed etiam aliquando cogi quis INVITVS potest, ut pauperibus eleemosynas exhibeat, & gratis frumentum eroget. v. STRYCK Dissert. de Dardanariis Cap. 3. KOEPPEN qu. 59. n. 9. & maxime notabilis est Can. 21. dist. 86. ibi: pasce fame morientem; quisquis enim pascendo servare hominem poterat, si non pavisti, occidisti. Dicta tamen procedunt saltem, si ipse, cui venditio injuncta, rebus ad victum necessariis abundet. C. I. A. tit. de C. E. V. th. 33. Conf. III. de GVDENVS, dissert. de Venditione invita prædiorum subditorum in Lusatia superiori. Erford. 1723. hab.

Tempore belli
 INVITI emere
 tenentur.
 Non obstat
 Alii adducuntur
 Casus.

Confusio
 INVITI emere
 tenentur
 Non obstat
 Alii adducuntur
 Casus

E

§. XIII.

§. XIII.

Locatio fit ali-
quando nobis
invitis.

Conductor
invitus emi-
grare tenetur
ante tempus
finitum.

1)

2)

3)

4)

Quia per *pr. Inst. de loc. cond.* Locatio conductio proxima est emtioni venditioni, placet etiam quædam, quæ hic *nobis invitis* accidunt, adducere. Tenentur vero aliquando Domini INVITI ædes suas aliis pro certa mercede locare, id quod præprimis contingit in conventibus publicis, bey Käyserl. Königl. etc. etc. Crönung gen & similibus. Tenentur in quibusdam locis rustici INVITI nobili potius operas suas locare, quam extraneo. vid. CARPZ. *Lib. I. Resp.* 58. Tenentur cives INVITI Studiosis habitationem concedere in loco comodo ad studia tractanda. vid. SCHOEFF. *in S. I. Priv. L. XIX. tit. 2. n. 12.* LAVTERBACH. *Coll. Pr. dict. tit. §. 14.* ubi hoc saltem in *Universitate Eberhardina* obtinere, asserit; Rectius tamen ob interesse publicum, quod per studia promovetur, ad omnes Academias hoc extendit REBVEFF. *de Priv. univers. priv. VII. n. 1. 4.* Sicut vero *invitus* locator in variis casibus usum rei concedere tenetur: sic etiam haud raro conductor INVITVS ante tempus finitum emigrare cogitur, v. *gr.* 1.) ob mercedem non solutam intra biennium, vel duplicem terminum solutioni destinatum, v. *l. 54. §. 1. de Loc. & cond.* Ex quo infert. STRYCK. *ad Laur. d. r. v. non potest.* Si studiosus museum conduxerit ad annum sub pacto, quod quovis quadrante elapso, pensionem solve- re velit, eum tunc invitum expelli posse, si duobus qua- drantibus nil solverit 2.) si ipse locator domo indigeat *l. 3. C. de loc. cond.* 3.) ob necessariam refectionem. *d. l. 3.* 4.) ob abusum rei locatæ, sive sit *naturalis*, v. *l. 54. loc. cond.* sive *moralis*, v. *gr.* meretrices inducendo. Ma-

le

le BALDVS in l. 3. C. loc. hic excipit studiosum ob ridiculam sane rationem: quod dominus studioso conclave lacans, scire debeat, studiosum caste vivere non posse 5) si non addit Conductoris hæres. l. 15. §. f. loc. cond. quibus aliisve casibus, qui in plerisque compendiis sub hac materia facili negotio reperiuntur, omnino conductor INVITVS ante tempus conventum emigrare cogitur. An vero, quod obiter quasi adduco, conductor ante tempus finitum recedere possit, si domus spectris infestetur, late hic inquirere non licet. Affirmat hoc K V L E N K A M P, Dissert. de resignatione locationis conductionis, tempore nondum elapso Cap. III. §. 9. Altdorff. 1702. Cui accedit R O M A N Y S Dissert. De rescissione contractus locati conducti ob metum spectrorum Lips. 1703. Dissent. T H O M A S. Dissert. De non rescindendo contractu locationis conductionis ob metum spectrorum, Hale 1711. Plures omnino casus ex Jure ad Rem adducere apud animum constitueram; quia vero limites dissertationis excedere nolo, ac insuper de actionibus adhuc quædam dicenda restant; hic subsisto & progredior ad

5)

de simple nA
-ni mubnoza
-leqnoa zuly
An Condu-
-tor ob me-
-tum spectro-
-rum emigrare
-possit?
Remissive.

CAP. III.

DE IIS, QUÆ NOBIS INVITIS FIUNT
CIRCA ACTIONES TAM CIVILES
QUAM CRIMINALES.

§. I.

CUM in præcedentibus Capitibus de iis, que nobis invitis sunt circa jus personarum & rerum sollicitus fuerim, sequitur, ut etiam quædam nunc de actio-

nibus *juxta methodum mihi electam*, adducam, propter actiones enim totum jus civile comparatum dicitur. v. ANT. FAB. *Ration. ad l. 2. pr. de contrab. emr.*

§. II.

An aliquis ad agendum invitatus compelli possit? regulariter negatur.

Quotuplici modo verbum *actionis* accipiatur vid. in CALV. *Lex. voc. agere.* An vero aliquis *invitus* ad agendum compelli possit? videtur inutilis quaestio per regulam vulgarem: quod nemo *invitus* ad agendum vel accusandum compelli debeat, v. *Lex unica C. ut nemo invitatus agere vel accusare cogatur*; idem etiam disponunt Imperatores DIOCLET. & MAXIM. in *l. ult. C. de usuris pupillar.* ibi: *Pupillus agere vobiscum actione tutelae compelli non potest*; actor quippe in sua potestate habet, an & quando agere velit, sicut autem alias quilibet est rerum suarum optimus moderator atque arbiter *l. 21. C. mand.* sic etiam, quod pertinet ad actionis instituentis naturam merito in illius arbitrio positum esse debet, num velit alterum convenire, nec ne, cum juri pro se introducto renunciare possit *l. penult. C. de pact.* insuper etiam uti inquit BRUNNEM. *ad d. L. un. n. i.* incivile est hominem compellere ad id, quod non potest, per *l. 9. §. 10. de pœnis.* Causas enim agere non omnes sciunt, & superiorum est non jubere litigia, sed prohibere. Dicta regula tamen non adeo generalis est, sed pro ratione eorum, quæ circumstant, suas quoque patitur limitationes & exceptiones, uti ex statim adducendis apparebit.

Dicta regula limitatur,

§. III. Perdit autem adducta regula officium suum, ut cum PAVLO *ex l. 1. de R. I.* loquar, *partim* ratione Actaris

ris & partim ratione Rei; Actor in casibus multis INVITUS agere tenetur, nisi damnum incurrere malit; sic 1) Tutor pro pupillo & curator pro minorenni instituere actionem invitatus tenetur, alias actione tutelæ ad damnum resarciendum compellitur, v. l. 2. cum seqq. C. Arbitrium tutelæ. 2) Hæres ad prosequendam vindictam necis defuncti invitatus obligatur, nisi velit amittere hæreditatem, v. l. r. C. de his quibus ut indign. j. l. 9. de SCro Syllan. quæ necessitas tamen hodie cessat, & sufficit si judici saltem homicidium denuncietur ad inquirendum. v. Const. Crim. art. 214. SCHILT. Exerc. 38. th. 179. HAHN. ad Wesenb. Tit. de his quæ ut indign. n. 2. vi qui necem. 3) Vi obligationis venditor invitatus agere tenetur contra tertium, ut emtori satisfiat, v. l. 13. §. pen. de act. emt. Et debitor contra suos debitores, quo creditori persolvat; Hinc Germanorum proverbium: Ein Neil treibet den andern. 4) Legatarius actione ex Testamento cogere potest hæredem, ut invitatus agat contra debitorem hereditarium, ut legatarius legatum consequi possit. v. l. 75. §. ult. de legat. I. idem obtinet 5) si res aliena, a sciente testatore sit legata; Hæres enim invitatus hanc rem emere, vel æstimationem hujus rei legatario præstare tenetur, v. §. 4. Inst. de Legat. 6) Mater invita petere tenetur liberis impuberibus tutores, alias privari potest hæreditate v. l. 1. qui pet. tut. An vero hæc pœna adhuc hodie sit in usu; Doctores non conveniunt; Negativam mascule defendit & propugnat JOAN. CHRISTOPH. FRANCK, in Problemate Juridico: De successione Liberorum matri, in tutore ipsius petendo negligenti, hodierno jure non admenda. Hale

Actor tenetur invitatus agere.

1)

2)

3)

4)

5)

6)

1718. 7) Is qui semel se adstrinxit ad legendum, *invi-*
tus potest compelli, ut via eadem, quam semel elegit,
ambulet; ideoque qui semel actionem movit, adigitur,
ut actionem *invi-*tus persequatur; & sic ulterius in judi-
cio agat. v. *Arth. qui semel C. quomodo & quando judex.*

In Lege diffamari.

8) Merito huc 8) refero legem istam famosissimam
5. C. de ingen. manusiss. diffamari. communiter dictam;
neminem enim fugit, quod diffamatus suum adire pos-
sit judicem & ab eo petere, quo diffamator citetur;
qui deinde *invi-*tus agere & diffamationem suam pro-
bare, aut, ut ipsi silentium perpetuum injungatur, pati
tenetur. v. *BRUNNEM. ad b. l. n. 5.* Si agat, quis hac
lege, reum non juvat, etiamsi forum privilegiatum ha-
beat. *M. EV. P. III. Dec. 213. CARPZ. Dec. 37.* quam-

Clericus ex lege diffamari, ad Judicem secularem citari potest, cum distinctione.

obrem etiam clericus ad Judicem laicum ex hac lege ci-
tari potest; quod tamen intelligendum, si clericus ex-
tra officium constitutus, wenn er nicht in seinem ordentli-
chen Prediger Amte gewesen / in alterius praedictum ali-
quid proferat. Aliud igitur est, quando v. g. pro con-
dione, oder im Dicht Stuhle, gradus admonitionum
exceedit sicque alicui injuriam infert, quo casu conve-
niendus est coram Consistorio *ex Lege diffamari*, vid.
BRUNNEM. 7. Eccles. Lib. 3. c. 11. §. 13. Consentit *IT TIG*
dissert. de Clerici foro seculari cap. III. th. 9. v. omn. LV3
DŌVICI Einleitung zum Consistorial-Process cap. V. §.
15. p. 37.

In Lege: Si contendat.

9) *Cum lege Diffamari* concurrat 9) *remedium le-*
gis: Si contendat, 28. de fidejussor. Cujus actionis for-
mulam

mulam perhibet BARTH. in Hædeg. forensi p. 769. vulgo equidem, quamvis male provocationem ex L. diffamari, & ex L. si contendat confundunt, putantes in eo saltem differre: quod remedio ex L. diffamari non detur locus, nisi præcesserit ac demonstrata fuerit diffamatio; provocationi autem ex L. si contendat etiam si nulla demonstratur diffamatio. Sed egregie, qui hoc statuunt, falluntur; Differentia enim specifica in eo consistit; quod in Lege si contendat, petatur: ut iudex exceptionem propositam reo competere eamque contra actoris, (qui etiam hic invitus ad audiendum adigitur) intentionem tutam esse, sua sententia declaret. In Lege diffamari autem petitum sic formetur: ut certus adversario ad agendum terminus præfigatur & si agere cesset, ipsi perpetuum silentium imponatur. vid. Præjud. apud RIVIN. ad O. P. S. Tit. 1. En. XXII. p. 21. Alias eleganter hæc duo remedia exposuit Ill. BERGER, in Electis Processus Provocatorii, Lips. 1704. Conf. Banck in Commentario in celeberrimam Legem: Si contendat; in quo ob affinitatem materiæ, plurima, quæ ad Legem diffamari pertinent, nervose tractantur. An. 1674. J. SCHVBERTH differt. De actore invito ad agendum provocato, Lips. 1723. Adduxi §. 3. no. 7. casum, ubi Actor invitus litem coeptam continuare tenetur; huic in præsentiarum I. 10. jungo contumaciam Actoris ex O. P. S. Renov. Tit. X. §. 1. p. 77. vi cuius Actor emanens in primo termino expensas restituere, insuperque actionem institutam, intra Terminum Saxonicum invitus continuare tenetur, nisi jure suo cadere velit per verba: Sondern auf die Erstattung der

Multi hæc duo remedia confundunt.

Differentia horum specifica,

10. notatur Actoris contumacia,

cau hloM
bibmet onb
anubndao

rer Unkosten &c. &c. Alias autem *scil.* ante emissam hanc ordinationem, Actor præstabat cautionem *de Lite prosequenda*, quam tamen prius præstare non cogebatur, quam iterum agere inciperet, quamvis Reus interim expensas, in quas actor condemnatus esset, statim perere possit: vid. Responsum Jctorum Vittebergensium huc pertinens apud WERNHER. *P. II. §. 1. Obs. For. Obs. 437.* quod propterea adducere eo lubentius volui, quia in multis locis verus iste procedendi modus usu adhuc frequentatur.

siocvili
-eqnour
-sib

§. VII.

Reus plerum-
que invitus ad
Judicem tra-
hitur.

Ex hactenus dictis apparet, quod Actor omnino sæpius *invitus* ad agendum cogatur; De Reo autem, ut multa præferam, operæ pretium non existimo; Hic etenim plerumque ad agendum vel excipiendum *invitus* compellitur *v. l. 83. §. 1. de verb. obl.* ibi: *Judicium autem etiam in invitum redditur.* Et quamvis reorum conditio sit favorabilior, quam actorum, *v. l. 125. de R. I.* quod jura ad liberandum, de quo reus certat, proniora sunt, quam ad obligandum, *v. l. 47. de O. & A.* Unde etiam Reus, Actorem non probante, absolvitur quamvis ipse nihil ad sui defensionem probaverit. Neque enim de Jure Rei quærendum est ante, quam de jure Actoris constiterit, *arg. l. 4. C. de edend.* Id quod non solum in *Causis Civilibus* sed etiam *Criminalibus* procedit, si accusator probationes luce meridiana clariores non attulerit. *v. l. Ul. C. de probat.* Atque ex eadem causa Reo criminis Capitalis dilationes tres conceduntur, quarum duæ saltem Accusatori dari debent. *per l. ult. de feriis & dilaz.* His tamen omnibus non obstantibus

.01
-oda mitor
-arvno

bus pro Actore fortior militat præsumtio. d.l. 83. §. 1. de V. O. ibi: Et ideo actori potius credendum est.

§. VIII.

Quamvis hæc de Reo, quod certe *invitus* comparere atque se defendere teneatur, sufficere possent; unicum tamen casum, quo de inter Doctores valde controvertitur, hic subjiciam: Notum scilicet est, quod miserabiles personæ, quales sunt 1) *Pupilli* v. CARPZ. *Lib. II. Resp. 19. n. 5.* 2) *Vidua* 3) *Perpetuo morbo defatigati* CARPZ. *c. l. si alium convenire velint, eum statim ad Principem vocare, sicque primis instantiis privare possint, per l. unic. C. quando Imper. inter pupill. ubi quidem omnes facile consentiunt, hoc privilegium miserabilibus prodesse, si sint ACTORES; An vero si sint REI, etiam cogere possint actorem, ut *invitus* adeat superiorem, ibique Jus suum prosequatur, nondum conveniunt; Negativam sententiam amplectitur BARTH, in *Hodeg. forens. Edit. nov. p. 22. arg. l. 14. de Leg.* Affirmativa sententia autem semper verior mihi visa fuit. 1) ducto argumento a contrario; Nimirum miserabiles *inviti* pertrahi ad superiorem nequeunt; Ergo, si quidem sui copiam coram superiore facere velint, omnino sunt audiendi 2) ob identitatis rationem; quoniam vix, ac ne vix quidem hic solida diversitatis ratio dari potest, præprimis, *ut §. preced. monitum*, cum reorum conditio in multis sit favorabilior quam actorum. Et si verum est, etiam hanc sententiam, quam Praxis sequitur, amplectendam esse; sane Præjudicia huc spectantia cum Rationibus adducit, ILL. BERGER in *El. Discept. Forens. Tir. IV. Obs. IX. p. 98. seqq. Conf.* Idem*

Quæ personæ dicantur miserabiles. Hæc, si sint Actores, statim reum ad superiorem provocare possunt. An etiam, si sint Rei.

Quidam id negant. Affirmativa sententia est verior.

ratio 1) ratio 2)

Præjudicia.

in *Oecon. Jur.* p. 941. in *f.* vid. etiam SCHVLZ, *Dissert. De recursu ad superiorem ex l. Unic. C. quando Imperator inter pupill. Francos. 1688. TESSAVRVS dec. 177.*

§. IX.

A causis civilibus ad Criminales me converto, ubi equidem, quia ad finem mihi properandum, brevis ero. Supra §. 3. b. c. pro parte jam adductum, quod omnino aliquando Actor in Criminalibus etiam invitus accusare teneatur; Paucis igitur ratione *Accusati*, seu *Inquisiti*, an & quatenus contra hunc *invitum* aliquid statuendum sit, in IV. saltem casibus recensere 1) In mentem venit casus: An indistincte in homicidam poena capitalis, *invito delinquente*, statuenda sit? quod rectius negatur, quam affirmatur; *scil.* distinguendum *b. c.* quale sit homicidium? sic quidem in doloso poenam capitalem infligendam esse, inficias non ibo, de quo *t. t. ff. ad Leg. Cornel. de Siccar.* aliud vero dicendum in homicidio culposo, ubi nihil, nisi *Werigeldum*, quod est *masculo occiso, XX, femina autem occisa, X. thal.* praestandum venit. vid. CARPZ. P. IV. C. XI. d. 5. *Id. quest. 34. n. 25. j. Land. N. Lib. III. a. 45.* quo loco notari meretur, quod qui *Werigeldum* solvit, ad sumtus funeris non teneatur. vid. *Præjud. ap. BEYER. in posit ad Inst. Tit. de privat. delict. pos. 13.* Nec hoc debetur, si heredes defuncti necem non vindicent, nec iudici ad inquirendum denunciant; uti *Jcti Vitteberg.* iterum *c. l.* penes BEYER: pronunciant; Ex quibus iudicatu facile est, certo respectu ad huc hodie heredem homicidium iudici denunciare debere, nisi *Werigeldum* amittere velit. Uterius in homicidio casuali, vid. *l. 14. ad Leg. Aquil.* uti etiam in necessa-

In Causis Criminalibus proponuntur, IV. Casus,

1) In invitum delinquente, statuenda sit? quod rectius negatur, quam affirmatur; scil. distinguendum b. c. quale sit homicidium?

Quantitas Werigeldi.

Qui hoc solvit, ad sumtus funeris non tenetur.

Præjudicium. Alius Casus, quando peti nequit.

cessario, ob moderamen inculpatæ tutelæ, ab omni
pœna est immunis, ut igitur hisce casibus in delinquen-
tem *invitum* nihil statui possit, v. l. 3. de I. & I. j. Ord. Cr.
art. 139.

II.) Sæpissime in Criminalibus occurrit, judici con-
stare de corpore delicti, inquisitumque satis convictum
esse; quia vero hic confiteri recusat, quæritur: *An pœ-
næ capitali, invito inquisito, hic locus sit?* Si BODINO
credendum, negativa sententia verior esset; Hic enim
in Lib. IV. Mag. Daman. c. II. fol. 571. scribit: *Pessimum
hunc morem esse Germanorum, illos Reum, nisi confessum, mor-
te non punire, ut ut is mille testibus sit peractus & convictus,
quin potius eum violente seveque questioni tradere, usque
membris captus langueat toto vite spatio.* Ast egregie et-
iam fallit & fallitur BODINVS; Certo enim certius est,
ad pœnam capitalem infligendam sufficere alterutrum,
aut confessionem aut convictionem; quod non solum
ex Can. I. *Caus. II. qu. 1. & cap. 4. X. de Judic. ut & Dec.
El. 77.* nec non Ord. Crim. art. 21. in fin. apparet, sed et-
iam per quotidianum pronunciandi modum corrobora-
ratur, sic etenim fere toto die Collegia Juridica ad Acta
Criminalia respondent: *Daferne nun Inquisit auf seinem
gethanen Bekännnisse vor öffentlich gehegten peinlichen Hals-
Gerichte verbleiben / oder NB. dessen / wie sonst Rechts /
überwiesen würde / so wäre er re. vid. CARPZ. Pr. Crim. qu.
126. n. 72. FARINAC. Pr. Cr. quest. 81. n. 2. ut itaque omni-
no BODINO adstipulandum non sit, qui fortasse per
art. XVI. Ord. Crim. verbis: So der Thäter re. deceptus
fuit; quæ verba tamen, ut optime monet RAVCHB.*

II)

An in convi-
ctum, non ve-
ro confessum,
pœna capita-
lis constitui
possit?
Notatur Bod-
inus.

Affirmatur.

Lib. II. quest. 8. n. 1. non accipienda sunt de Delinquentibus indubitatis ac vere & plane convictis, sed de crimine manifesto & flagrante, in quo deprehensus est reus; hinc non obstante hoc articulo inquisitus *invitus*, qui confiteri non vult capitaliter, punitur. vid. ITTIG. Differt. de confesso non convicto, Lips. 1687. rec. 175.

§. XI.

III.) Aliquando accidit, ut fur, vel qui alias patibulo necandus, si jam suspensus sit, tracto laqueo in terram ceciderit; quæritur ergo: an secunda vice *invitus* sit suspendendus, an a pœna laquei liberandus? Et quoniam hæc quæstio jure nostro definita non deprehenditur, insuperque admodum dubia videtur, benigniorem sententiam multi amplectuntur, & pro reo liberando pronunciant, a. l. ff. de pœn. quos inter est LVCAS de PENNA in l. 1. C. de desert. Dec. ad l. 125. de R. I. ARVMÆVS Exercit. 17. ad Inst. th. 18. aliique a dictis auctoribus allegati, putant enim, quod voluntate DEI potius & sic miraculose, quam judicis arbitrio servatus sit, l. 32. ad L. Ful. de adult. adeoque si post lapsum de sua innocentia protestetur, absolvendum eum statuunt. Add. GOMEZ P. III. var. resol. c. 13. n. 37. & BOER. Dec. 217. n. 18. Contrariam vero opinionem, quæ Juris analogiæ convenientior videtur atque furem suspensum rupto laqueo, vivum in terram cadentem, denuo, etiam *invitum* suspendendum fore, fovent & propugnant BACCHOV. ad Treutl. Vol. II. d. 30. th. 3. BOCER. de furt. pœn. c. 3. n. 47. seqq. quo facit etiam textus in Ord. Crim. arr. 162. ibi: *sub fin.* Vom Leben zum Tode gestrafft werden/ & art. 192. ibi: An dem Galgen mit dem Strang

III.
An suspensus, fracto laqueo, denuo suspendendus sit?
Jure non est decisum.

Igitur multi hoc affirmant.

Verius negatur.

Adducitur hanc in rem Ord. Crim.



ge oder Ketten vom Leben zum Tode gerichtet werden soll.
Cui sententiæ cum plures rationes addidisset CARPZ.
Pract. Rer. Crim. P. II. qu. 80. n. 40. tamen iudicibus sua-
det, ut potius priori, tanquam benigniori album calcu-
lum addant, talemque reum a reiteratione supplicii hu-
jus liberent.

§. XIII.

Unicum IV) adhuc adducere placet casum, ante-
quam finem imponam. Quæritur: An inquisitus,
cui invito tortura injungitur etiam *invitus* teneatur sa-
tisfacere sententiæ in criminalibus, ob et nothwendig
das Urtheil eingehen und v. g. sich torquiren lassen müssen?
Aut an non potius contra sententiam, quæ ipsi tortu-
ram injungit, appellationem interponere queat? quia
in pluribus iudiciis criminalibus errores errantur pluri-
mi & maximi & apertis faucibus inhiatur humano san-
guini, imo in locis quibusdam plane horrendus & la-
crymis irrigandus est justitiæ status, uti loquitur OLDE-
KOP. *Obs. Cr. Tir. V. Obs. I. p. 297.* hinc Jure Civili com-
muni appellationem indistincte esse permittendam, pa-
tet ex *l. 6. ff. de Appellat.* cui ne quidem renunciare va-
lide potest inquisitus, quoniam appellatio est species
defensionis, & nemo membrorum suorum est domi-
nus. Moribus tamen Germanorum in causis inquisi-
toris appellationem non admitti, v. GAIL. *Lib. I. O. 18.*
n. 28. MYNSING. *Cent. IV. Obs. 41. n. 3.* CRVSIVS *de in-*
diciis P. IV. C. 48. n. 12. Recess. Imper. de anno 1530. §. 95.
j. Land. R. Lib. II. art. 12. & præprimis CARPZ. *Pr. Cr.*
qu. 139. n. 37. it. in Proc. Tit. 17. art. 4. n. 37. quia tamen
magnum etiam rationis pondus est, ut tam ardua ne-

Carpzovit
monitum.

IV.

An Inquisitus
invitus sen-
tentiam, quæ
ipsi torturam
injungit, subi-
reteneatur?

An appellatio
hoc casu lo-
cum habeat?

Affirmat Ol-
dekopp.
quæ sententia
vera Jure Ci-
vili.

Non vero Mo-
ribus Germa-
norum.

Loco appella-
tionis permis-
sa est defensio.

gotia, qualia sunt criminalia, non ab uno, sed diversis collegiis decidantur, loco *Appellationis & Leuterationis*, Inquisito defensio conceditur; quod beneficium defensionis *Inquisito* magis proficit in deductione innocentiae quam ipsa *Appellatio*. Nam in terminis defensivis nullum habet obloquentem, vel contradicentem, quem tamen invenit in justificatione *appellationis*; porro in *appellationis* instantia juxta *CARPZ. Proc. Tit. XVII. art. 1. n. 78.* novae probationes non admittuntur; quoad *Inquisitum* autem in quacunque defensionis parte licitum est, ad novas probationes pro innocentia confugere, quin imo omissa & ante vix excogitata supplere, ob favorem defensionum. Cujus rei exemplum ex *Actis Criminalibus* mihi benigniter communicatis & coram *Prætorio Lipsiensi* ventilatis nuperrime saltem observavi. Scabini *Lipsienses* *Judæo* cuidam *H. W. Mens. Julio a. c.* in puncto rei furtivæ emtæ torturam corporalem, additis, uti fieri solet, rationibus, injungebant; Interposita tamen deductione innocentiae a *Defensore Dn. Doctore POMMERO*, fautore meo æstumatissimo & apud *Lipsienses* præprimis in *Causis Criminalibus* Patrono causarum dexterrimo & felicissimo, *Mense Septembr. a. c. corporalis tortura in spiritualem* (uti loqui amant) a *Facultate Juridica Vittenbergensi*, his verbis immutata erat: Im übrigen ist *H. W.* mit der *Ihnr* zuerkannten *Warter* gestaltten *Sachen* und *Umständen nach* vornehm. in *Ansehung* seines *Vol. I. fol. 323. Vol. II. fol. 162. seqq. & Vol. IV. fol. 155.* attestirten guten *Verhaltens* wie auch/ daß er die *gestohlnen* *Spiege*n mehrentheils wieder herbey gebracht/ und wieder *Ihnr*/ daß er die *annoch* er-
man-


.VI
Casus novissi-
mus.
-ol
-IO
-Men
-ip
-norm

mangelnde gleichfalls gekauffet und zurück behalten/keine zur Tortur zulängliche Indicia vorhanden/ jedoch nichts desto weniger vor allen Dingen nach vorgehender scharffen Verwarnung vor der schweren Straffe des Meyneides/ daß er ic. zu schweren schuldig.

§. XIV.

Hæc sunt, L. B. quæ de iis, quæ nobis invitis fiunt, *Conclusio.* conjicere volui. Fateor equidem plura, quæ hic ne tangi potuerunt, superesse; quin & ipse, repetita lectione, nonnulla deprehendi, quæ lima accuratiori indigent; Facile tamen abs Te, L. B. veniam me impetraturum, confido, si conditionem mortalium mecum considerare non dedignatus fueris: Omnium enim habere memoriam & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis est, scribit *sacratissimus Imperator JUSTINIANVS in Constit. Tanta de Confirmatione Digestorum §. 14.* Si fortasse exigua hujus materiæ evolutio Tibi non in totum arriserit, spero tamen ex parte Tibi ob varios insertos Casus non displicituram facileque Te omnia in meliorem partem interpretaturum. Interim, sicuti cum *Divini Numinis* imploratione hunc laborem auspiciatus sum: ita cum submissa gratiarum actione pro benevola assistentia ac concessis viribus eidem ultimam manum impono.

SOLI DEO GLORIA!



S reise nun vergnügt von unsrer Linden-Stadt,
 Da Dein belobter Fleiß das Ziel erreicht hat,
 Von wahrer Wissenschaft, worauf Du stets bestiffen,
 Nicht leerer Schaalen Tand, nur rechten Grund zu wissen.
 Und so empfängest Du den wohlverdienten Lohn,
 Die Themis kennet Dich, als einen werthen Sohn,
 Sie reichet Dir den Preis vor Dein gelehrt Bemühen,
 So wird Dein Glück bald in edlen Früchten blühen.

Mit diesen wenigen Zeilen wolte seine Schul-
 digkeit bezeigen

D. Jacob August Franckenstein/

Hoch-Fürstl. Anhalt-Zerbstischer Hof-
 und Regierunge-Rath.


Cedant Astrea Reges regnumque triumpho,
 Cedat & auriferi ripa beata Tagi.
 Levia miretur vulgus: TE magnus Apollo
 Nolit iustitia sacra latere diu.
 Dum Cathedram scandis, dum credita munera prodix,
 Quae dedit ingenio docta Minerva TVO.
 Percipis haud parvos fructus, dum juris evadis
 Custos, cui posuit nunc diadema Themis.
 Cui sunt civilis bene nota volumina juris,
 Qui Canonum profert consona jura foro.
 Quem Themis & melior virtus exaquat Olympo,
 Quem vehit ad summum flavus Apollo thronum.
 Currere perge viam, DEVS adsit Numine sancto
 Propositumque Tuum prosperitate beet.

*Hise paucis virtuti & doctrinae Praecl. Dn. Doctorandi,
 dudum sibi exploratae, titulos optimè meritos gratu-
 latur, ac hos supremos honores faustos esse jubet*

ABRAHAM KÆSTNER,
 Jurium Doctor & Pract. Lips.



(X228.2285)



1729
De

N^o 16

L. D. B. F.

1729, 11

749 2 13

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE IIS,
QVÆ NOBIS INVITIS
FIVNT,

QVAM

CONSENTIENTE
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE
IN PER-ANTIQA ELECTORALI ERFFVRTHENSI
ACADEMIA

SVB PRÆSIDIO

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, COM. PALAT. CÆS. IVRID. FACVLT. ASSESSOR. ET CODIC. PROF. P. O.
NEC NON CIVITATIS SYNDIC. ET CONSVL.

HORIS CONSVETIS

IN AVDITORIO ICTORVM MAJORE

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CAPESSENDI

SVBMITTIT,

JAC. HENRICVS WINTZIGERVS,

ZITTAV. LVSAT.

DIE XXVII. IVNII M DCC XXIX.

ERFORDIÆ,

Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

6-